

Katerina dei gratia Hierosolymae Cypri et Armeniae Regina et cetera. Quibuscunque has nostras litteras
perlegentibus Notum esse volumus: quod quum Illustrissimum et excellentissimum Ducale venetiarum
Dominium: sub cuius adoptione et protectione sumus novam nuper confederationem cum serenissimo Me-
diolani Duce Galeatio Maria Fortia et excelsa communitate Florentiae fecerit. Ac Nos pro adhaerentia et
colligantia quam nobiscum habet: eadem confederatione nominasset nominatamque declarasset.
Volumus in ea esse sicut nominata sumus. Atque eam nominationem: qualscumque ab eodem Ducali
Venetiarum dominio parente nostro prestantissimo promissa fuerit approbamus ac firmam ratam et gratam
tenemus habebimusque. Adiurantes sacra dei Evangelia huiusmodi foederi nulla unquam causa con-
travenire. Et in huius fidem testimonium et auctoritatem iussimus has patentes nostras fieri
nostrumque nomen subscribentes sigilli nostri appensione mandavimus muniri. Datum in pala-
tio urbis nostrae Ammochusti die quarta mensis Aprilis MCCCCLXXV.

FAMAGOSTA, 4 Aprile 1475: Caterina Cornaro, Regina di Cipro, conferma il trattato tra la Repubblica di Venezia, Firenze e il Duca di Milano (Atti diplomatici, b. 44, n. 1304)